



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Dominica 3. Post Epiphaniam, De leproso mundato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

DOMINICA TERTIA
POST EPIPHANIAM,
NISI SIT SEPTUAGESIMA.
DE LEPROSO MUNDATO.

Et confestim mundata est lepra eius. Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Non dixeris, per Deum abest. *Eccles. 15.*

SENSVS EST, praesertim de iis qua spectant ad salutem nostram.

RATIO EST, Quia si quid per Deum abesset; id defectu potestatis, vel voluntatis eius abesset.

At neutro ex his capite, dici potest.

Ergo omnino ne dicas, per Deum abest, sed potius per seipsum, quod est valde probrosam.

I. PUNCTUM.



INCEDENTI per urbem Capharnaum Domino occurrit leprosus, qui audiens famam miraculorum eius non dubitavit de illius potestate, sed de voluntate incertus, post humilem adorationem, sic exclamavit;

Domine, si vis potes me mundare: Et Jesus extendens manum, tetigit eum, dicens, Volo, mundare, Et confestim mundata est lepra eius.

Ex quibus aperte lectis, vel aliquamdiu consideratis, facile est ad Veritatis propositae sententiam & declarationem pertinere. Cum enim Christus Dominus aperire leproso, & nobis indicet se aequè velle quod rogitur, ac potest: si quid non obtinemus quod maxime ad salutem nostram pertineat, plane non potest in eum rejici; Quod tamen fit à plerisque sese excusantibus, & defectum gratiae cautiuntibus; Tu illud cave, Et ne dicas, per Deum abest. Sic Sapiens expressis verbis,

Eccles. 15.

Et ratio est evidens, quia si ex parte Dei deficeret aliquid, vel defectu potestatis, vel voluntatis eius, deesset. Nonne ita? Nam si vellet & posset, quid deesset? haec duo sunt praecipua Dei attributa, quae ad omnium rerum effectum Scriptura commemorat, Domine, Domine Rex omnipotens, in iudicio enim tua cuncta sunt posita: Es non est qui possit tua resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Si quid aliud cogitari potest, ut

1. Th. 2.

II. PUNCTUM.

At neutro ex his duobus capitibus dici potest: per Deum abest.

Non quidem defectu potestatis, tu enim facile cum Sapiente dices, subest enim cum volueris, posse aut cum Leproso, Domine, si vis potes me mundare. Sed cum eodem etiam forte dubitabis de eius voluntate: Verum audi Dominum Jesum: Volo, mundare, quasi dicat, perinde volo ac possum: non minus esto certus de mea voluntate, acque de mea potestate.

Sap. 12.

Non vult quidem modò miraculum, si forte peteres; non vult humana quaedam & temporalia, quae dare posset si vellet. Neque etiam ita simpliciter, & absolute vult illa quae spectant ad animae tuae salutem, ut non interponat conditionem tuae cooperationis. Nam ut ait S. Hieronymus, in illa verba Apostoli, Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae: Vult Deus ea quae cumque sunt plena rationis atque consilii, vult salvari omnes, sed quia nullus absque propria voluntate salvatur, liberi enim arbitrii sumus, vult nos bonum velle, ut cum voluerimus, velit in nobis & ipse suum implere consilium. At vero hac posita conditione, & quo sensu dixerunt Apostoli: Deum velle omnes homines salvos fieri, & nolle aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti; tam vera est eius Voluntas quam vera est eius Potestas: Et quàm verè potest omnes salvare, tam verè vult te salvum fieri, per media ordinata.

Ephes. 1.

1. Tim. 2.

2. Petr. 3.

Licet enim sit voluntas conditionata, non desinit tamen esse voluntas, quæ, si posita conditione effectum sortiatur, de conditionata transibit in absolutam: si forte autem non perveniat ad effectum, defectus erit non voluntatis, sed conditionis quam exigebat talis voluntas, & sine qua volebat effectum producere. Ille porò defectus conditionis, non tam in Deum quam in carnem deficientem est rejiciendus, sicut expressè & disertè docet S. Joannes Damascenus: *Nequæ latendum est, inquit, Deum præcedenter velle omnes salvari: non enim ad puniendum nos plasmat, sed ut efficiat nos bonitatis sua participes, ut bonus: peccantes autem puniri vult, ut justus: Dicitur igitur prima præcedens voluntas & Acceptatio, ex ipso existens; secunda verò voluntas sequens, & permissio ex nostra causa existens.*

Lib. 2. de
Fide c. 29

Ezech. 18

Ibid. 33.

Matth. 23.

Atque hoc ipsum est quod tam clarè, & toties ipse Deus per Prophetas: *Numquid voluntatis mea est mors impiis, dicit Dominus Deus; & non ut convertatur à viis suis, & vivat; Et quare moriemini domus Israel, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini & vivite. Rursumque postea, Dic ad eos, vivo ego dicit Dominus, nolo mortem impiis, sed ut convertatur impiis à via sua, & vivat; Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israel? Sic Christus Dominus non jam per Prophetas, sed per se ac ore proprio; *Ierusalem, Ierusalem! quoties volui, & noluisi? Putasne cum verè loqui? Quod si verè loquitur, potesne dubitare eum verè velle, qui se dicit velle, & qui verè dicit?**

III. PUNCTUM.

NON dicas igitur, per Deum abesse. Nam cum nihil desit nisi defectu voluntatis, &

AD HÆC CHRISTI D. VERBA.

Vide, nemini dixeris Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Interrogatus quid primum in præceptis Christianæ religionis observandum; quid secundum, quid tertium; Respondit, Humilitatem.

potestatis; hic autem, neque voluntatis, neque potestatis divinæ ullus defectus notari possit, quid est quod per illum desit? *Quid est, inquit, quod debui ultra facere vinea mea, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? Quasi diceret, hoc unum dici potest, quod expectavi ut de suo mecum conferret ad salutem, sed nihil inde detrahitur de mea potestate, aut voluntate, cum non aliter debuerim velle: Ac proinde nemo ausit dicere; per Deum abesse, nisi blasphemus in eius potentiam, aut bonitatem: & nisi dicat aut illum nolle aut non posse, Utrum dices? utrum cogitabis? Certè de neutro restat dubium; sed si quod minus est dubitandum, profectò minus vellet Deus de bonitate sua, quam de potestate à nobis dubitari. Intuere Crucifixum, vide ut de sua potestate quodammodo privat; quorsum verò? Ut suam nempe bonitatem magis indicet; ut propensam in te voluntatem suam aperiat manifestius, ut denique minus dubites de ejus voluntate, quam de potestate.*

O verè bonum! verè benevolam, verè volentem, æquè ac potentem Christum meum! absit ut aliquid dicam, vel cogitem per illum abesse, si quid in me desit! Mea est omnis culpa, meus defectus, ego ipse sum qui nolo, nolo mundari etiam si ipse velit, quia volo affici rebus creatis. O pravitatem affectus mei, qui non modò repugnat voluntati divinæ, sed etiam blasphemare me facit, quasi non velit Deus! Quam verè dixisti Domine, *Perditio tua ex te, Israel, tantummodò in me auxilium tuum!* Hoc ergo modò auxilium invocò. ne cum me vis salvum, ego ipse me perdam! Et cum me vis mundatum, ipse me inficiam.

If. 5.

Osee 13.

AD HÆC

AD HÆC ITEM DOMINI VERBA.

Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus quod praecepit Moyses in testimonium illis. Matth. 8.

Sex veritates proponuntur in sequenti Hebdomada, quas unicuique licet ad hanc revocare diem.

DE FIDE CENTVRIONIS

A

CHRISTO DOMINO COMMENDATA.

Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Majoris est animi, te divinæ Fidei supponere, quam te illi opponere.

RATIO habetur declarata in 3 parte, Feria secunda infra Hebdomadam septimam post Octavam Pentecostes. Et qua de fide spursum proponuntur: vide verbo Fides.

HAC HEBDOMADA, materia considerationum elicitur ex his Christi Domini verbis quæ leproso mandato dixit: *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus quod praecepit Moyses, in testimonium illis, Matth. 8.*

Quæ ut melius intelligantur, adverte morbum lepræ apud Judæos fuisse frequentem, diversum, & cognitu ac curatu difficilem: proindeque multas circa illum morbum conditas esse leges, quarum omnium præcipua fuit, ut leprosi adirent Sacerdotem, qui judicaret de lepræ genere, de periculo, de remediis, de sanitate, ac multis ceremoniis quæ habentur in libro Levitici, cap. 13. & 14.

Poterat quidem Dominus dispensare leprosum, quem mundaverat ab his legibus; sed maluit eas servare & commendare, donec planè abrogarentur, sive ut Sacerdotio veteris Synagogæ honorem deferret, sive ut Sacerdotes novæ legis sic colendos, & ad eundem de nostris morbis spiritualibus ostenderet. Sic expressè habet Glossa interlinearis: *Disciplina nostri est, ut nos ostendamus Sacerdoti nostro.* Non enim Sacerdotibus nostris minorem potestatem Christus tribuit, quàm antiquis; nec minus Christiano, quàm Judæo, præceptum est, ut ad eum Sacerdotem, ostendat illi lepram animæ, expectet ab eo remedium, sanitatem, & alia quæ ad sex præcipua Capita referuntur, de quibus singulæ considerationes, & veritates in singulos Hebdomadæ dies, proponuntur.

SACERDOTIS autem nomine Superior, Confessarius, Instructor, seu Director conscientiæ, hic intelliguntur; Et hic illi intelligent, quid respondere debeant se consulentibus.

FERIA SECUNDA.

DE ADEVNDO SACERDOTE SEV DIRECTORE,
PRO SANA ET RECTA

CONSCIENCIA, IN DVBIIS, SIBI
FORMANDA.

Vade

Vade, & ostendete Sacerdoti. Matth. 8.

Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, inter lepram & lepram: Surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Levitici generis, &c.

Deuter. 17.

VERITAS PRACTICA.

Mulorum est conscientia cauteriata & perversa, nisi se sinant dirigi.

RATIO EST. Quia illa conscientia cauteriata, & perversa tunc esse intelligitur, quando quis non sentit lepram seu vulnus peccati. Sed multi, nisi se sinant dirigi, sic se insensibiles reddunt ad certa quadam peccata. Igitur illis est conscientia cauteriata, nisi recurrant ad Directorem & se dirigi velint. Quod quam sit necessarium, jam facile est iudicare.

I. PUNCTUM.

CUM, ut dixi, dubius esset lepræ morbus, vel inter plurima Leprarum genera, eum dubium esset qualinam afficeretur Leprosus; tum præcipue mandatum erat, ut is adiret Sacerdotem qui de morbo cognosceret, & Sacerdotis responso Leprosus staret.

Hæc in figuram eorum, quæ jam à nobis gerenda sunt, circa conscientiam, seu peccatorum dubia. Certum est apud omnes, quod si quæ occurrant, quæ nos merito dubios, & incertos faciant, tum Confessario vel Directori esse apertenda; neque licere in dubio peccati, quidquam facere. Sed quam pauci hoc curant; quam multi vel præsumunt se scire omnia, vel se doceri & dirigi negligunt! Quid porro his inde accidit? Audiant veritatem propositam; Audiant sibi inde fieri conscientiam cauteriata & perversam, quæ sit ut quò minus sibi putent Directore opus esse, eò magis indignant, & eorum unicuique idcirco dictum, *Vade & ostende te Sacerdoti.*

Hic finis meditationis, & propositæ veritatis; ut agnoscamus & persuadcamus nobis tam necessario ad eundem esse Sacerdotem, quam periculosum est alioquin nos habere conscientiam cauteriata, & quam insectum est saluti, in ea conscientia vitam traducere & finire.

Ratio est ex utraque parte, seu ex utraque propositione sua, valde consideranda, multumque illud quod primò dicitur, expendendum est, illam scilicet esse conscientiam cauteriata & perversam, quæ non sentit vulnus peccati, non dubitat, non angitur, nihil timet, nullo serupulo, seu nulla religione tangitur, quæ ut est in libro Job: *Bibit quasi aquam, iniquitatem.* Sic Apostolus quorundam licentiam carpens, *Cauteriatam*, inquit, *habentium suam conscientiam*, id est prope similem cauterio, seu cauteriatæ carni: Sic enim explicant Patres, quod sicut cauterio exusta caro, vulnus habet quod non sentit; ita illorum conscientia vulnus peccati habet, & non sentit, non agnoscit, non eos pœnitent; insensibiles sunt, non moventur.

Sic expressè Theodoretus; *Locus*, inquit, *cauterio inustus priorem sensum amittit*; Et S. Thomas dilucidè: *Sicut cauterium corruptio est in carne per ignem sive ferrum ignitum, ex qua egreditur consuetudo putredo, ita ex igne perversa voluntatis, quasi cauteriata ulceratur conscientia*

Quod confirmatur ex his quæ Apostolus ait, de quibusdam, *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitia, &c.* In Græca versione dicuntur, *ἀπληκκότες*, id est indolentes, quod explicans S. Hieronymus, ait indolentiam esse *quæ animus ita obsurdus, & obdurus in malis ut peccata non sentiat: ut cum peccat, omnem conscientiam remorsum amittat, & quasi conscientia amputata non pœniteat, nihil doleat.* Sicut enim, ut ait S. Ambrosius: *hoc bonæ mentis est, vulnus sentire peccati; sic est perversæ indolentiam, non sentire, non dolere.*

O indolentiam, omni dolore acerbiorum! Fieri ne posset Anime, ut sic aculeum remordentis conscientiam retunderes? aut si fieri posset, itane velles retundere, & callum facere vitis tuis?

II. PUNCTUM.

SED multi, nisi se sinant dirigi, sic se insensibiles reddunt ad certa quadam peccata.

Nonne

Nonne vides quàm multi peruersè & inordinatè afficiantur ad res creatas, ad honorem, ad pecuniam, ad sensibiles amicitias, & ad reliqua concupiscentiæ nutrimenta? Videtne verò quid hinc eveniat, quando videlicet suis affectibus indulgere volunt? Resistit primò Conscientia, & ubi peccatum agnoscit, angitur illicò animus, dolet, æstuat: fugiatne culpam, an admittat? Hinc affectu impellitur, hinc religione retrahitur: *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*, ut ait Apostolus; vult & non vult animus objectum pravi affectus; placet idem & displicet: vult delectationem, sed illi adiunctam culpam refugit. Quid faciat tandem? quid concludat? Ergone privabitur reamata? Etiam, quamdiu culpa simul apparebit, & quamdiu Conscientia culpam refugiet: quamdiu scrupulum injiciet, aut remorsum, (seu animi reluctantis excitabit commotionem. Unde alterutrum necessariò sequetur, aut renuntium affectui inordinato, aut Conscientia contrà obstitens conculcanda: Nam nimis durum est contra stimulum calcitare, & non nisi perturbatà conscientia, atque animo anxio, & in certam suam perniciem consentienti vivere: concilianda sibi pax est, & requies animi, undecunque proveniat: Quid hic ergo statuent? Quam se in partem dabunt?

Certè si saperent, Directorem adirent, difficultates animi proponerent, à quo quid noxium, quid innoxium in suo sit affectu, discerent; qua ratione affectus ordinandi, quo res usu, & quo fine possideri possint, atque conscientia benè formandæ consilia simul discerent; Hoc est enim Directoris munus, hæc gratia directionis, ut si quid est ambiguum explicet; si quid obscurum, illustret: si difficile & asperum, complanet, & expediat; unde apud Ezechielem Deus conqueritur de Pastoribus. *Qui quod infirmum fuit non consolidarunt, & quod agrotum non sanarunt: quod confractum non alligarunt, & quod abjectum non reduxerunt.*

Nunc verò quàm pauci sunt, qui se ita sinant regi, quàm multi sunt contrà, qui ut affectui libentius indulgeant, Conscientiam premunt, opprimunt, & ita conculcant, ut iam eluctari non audeant, non culpam indicare, non scrupulum seu religionem movere, nullo denique modo reclamare.

Quiesce, ne interficiam te; Dicebat Rex Amazias Cuidam Prophetæ, se admonenti. Sic planè illi, suæ Conscientiæ, suo illi Admonitori *Dome- Hagne sue Pars prima,*

stico imperant, ut quiescat à monitis & stimulis: Tùm verò si acquiescit, se pacatos, & tranquillos sentiunt in suis affectibus inordinatis, quia iam peccatum ibi non agnoscunt; nihil contrà audet Synderesis, nihil Conscientia, nihil ratio, nihil denique sese opponit affectui: Indolentes, & insensibiles redditi, jam ibi non agnoscunt culpam ubi est, cum antè ibi agnoscerent, ubi non esset; *Qui, ut ait Sapiens, relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas: qui lætantur cum malefecerint. & exultant in rebus pessimis.* Id est, nullo Religionis, & Conscientiæ punguntur stimulo, imò nunquam se beatiores & tranquilliores putant, quàm cum liberi res sunt in suis concupiscentijs; Quod idem Sapiens sic aptè exprimit: *In magno viventes in conscientia bello, & tam magna mala pacem appellant.*

Hæc est videlicet falsa pax mundi quam Christus Dominus reprobat, & cui suam opponit, dicens: *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* In quæ Domini verba, S. Augustinus, *Propterea, inquit, mundus dat sibi pacem ut sine molestia, mundo fruatur.* Id est, ut sine remorsu conscientia, suis indulgeat affectibus.

O damnosissimam cupiditatem, quæ sic animarum salutem prodis & perdis! Etiam peritissimos quosque Doctores sic illudis, ut cum aliis satis periti sint, sibi tamen sunt imperiti.

III. PUNCTUM,

MULTORVM est igitur Conscientia cauteriata & perversa, qui suis se affectibus sinant potius abripi quàm à Sacerdote, seu Instructore dirigi patientur. Cùm enim insensibilitate sua velut cauterio sibi facto non sentiant vulnus peccati, quænam illis restare potest Conscientia, nisi cauteriata & perversa? Quænam pax animi nisi fatalis illa de qua Dominus, *Non veni pacem mittere sed gladium?*

At nonne tu ex illis es? Nonne tu inordinatè afficeris erga aliquid? Nonne affectum sequeris? Nonne ex animi libidine potius, quàm ex ratione vivis? An ibi culpam agnoscis? An saltem dubitas? An in dubio Directorem adis? An eius consiliis libentius quàm naturæ motibus acquiescis? Fateri quod est, coram Deo? Nonne si vel Conscientia vel Superior, aut quivis alius te admoneat, non magni pendis monita, quasi non magni Reus peccati, quasi nullum, aut leviculum sit quod moneris! sic te excusas, sic tibi palpas & blan-

Rom. 2.

Al. 9.

Ezech. 34.

2. Par. 26.

Pro. 2.

Sap. 14.

Ioan. 14.

Math. 10.

& blandiris in eumentia pace, ut non dubites dicere, te nullo hinc serupulo angere, te nulla religione moveri. *Benedicit sibi in corde suo, dicens: pax erit mihi, & ambulabo in pravitate cordis mei.*

Dent. 29 Omnis blandam perniciem! o nimis suaves dolos! *Vident visionem pacis, & non est pax.*
Ezech. 13 **Vade, & ostende te Sacerdoti.** Communica cum illo de interiori tuo statu, expone illi nudè omnia; Tuam in manus ejus animam conjice. Accipe illum vadem & sponforem tuæ salutis; Animam suam pro tua spondeat, nec ab illo unquam discede, nisi in eo statu, in quo velles mori: ut

cum Christus Dominus rationem petet, quamobrem hoc aut illud egeris, respondere possis, quod Rechabitarum apud Prophetam: *Obedivimus voci patris nostri, in omnibus qua præcepit nobis;* *Jer. 38* Adivi Sacerdotem quo tu me misisti; ostendi lepram meam, sic me instruxit, sic erudivit; o securam vocem! Si vero huic de his officio, si audire detrectas, si te securum putas; o te Cauteriatum hominem! o perditissimam securitatem! *Cum dixerint pax & securitas, inquit Apostolus, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.* *1. Thess. 5.*

F E R I A T E R T I A .

DE RECVRSV AD SACERDOTE M, PRO RITE OBEVND A CONF ESSION E.

Vade, & ostende te Sacerdoti. Matth. 9.

Plaga lepra se fuerit in homine, adducetur ad Sacerdotem, & videbit eum. Levit. 13.

VERITAS PRACTICA.

Quod magis confert ad faciendam Confessionem, minus efficitur, nisi cum Sacerdote prius conferatur.

RATIO EST, Quia quod magis confert ad perfectam Confessionem, est aversio animi ab objecto quod est causa peccati.

Atqui hoc minus perficitur, minusque omnino fit, nisi prius cum Sacerdote conferatur.

Ergo & minus perficitur quod magis confert ad perfectam Confessionem, nisi ante Sacerdos adsatur. Unde imperfecta & nulla sæpe fit Confessio; Quod ne damnum accidat, certe adveundus Sacerdos, seu Director.

I. P U N C T U M .



UOD Leprosi adirent Sacerdotem pro lepra sua curanda, non tantum figurabat nostros Sacerdotes esse conveniendos, pro peccatorum remissione ab eis obtinenda, in Sacramento Confessionis: sed etiam pro ipsa Confessione ritè & debitè à nobis obeunda. Neque verò putes id rudi-

bustantum & pueris esse necessarium, ut instruantur: sed grandavi & eruditi quique imò & religiosi & Sacerdotes ipsi, nisi advertant, & nisi de sua salute ac perfectione sint valde solliciti, ignorabunt in praxi, & omittent quod maximè fieri & observari debet in Confessione sacramentali, ac proinde his etiam convenit, & his valde consideranda est Veritas proposita, cujus hæc est Ratio, quæ est fundamentum veræ Conversionis.

Quod est præcipuum, & maximè necessarium in Confessione ritè peragenda, seu quod maximè observari debet, est aversio ab objecto, seu à re creata, circa quam vel cujus gratia, peccatum, quod confiteris commissum est. Sicut enim nulla esset Confessio nec ulla remissio peccatorum, nisi esset dolor de peccato, sive per contritionem, sive per attritionem; sic nulla planè Contritio vel Attritio, nisi avernatur animus à peccato & ab affectu inordinato rei, quæ causa fuit peccati. Nam in illo inordinato rei creatæ affectu consistit tota deformitas & malitia peccati, quæ nullà unquam confessione, nullà satisfactione, nullà pœnitentia, nullis lachrymis, nullis muneribus, nullo alio denique modo expiari potest, quàm aversione animi à creatura, & conversione ad Deum.

Hoc

Hoc enim propriè est reverti & converti, sicut passim Scripturæ docent, & iam supra dictum est.

Exech. 18. Cum avertieris se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit. Considerans enim, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, vita vivet. **PROICITE à vobis omnes pravariationes vestras, in quibus pravariati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.** Quid clarius; quid expressius, ut videas, non esse satis, detestari peccata, sicut fieri solet à plerisque, qui peccatum quidem nollent in usu rei quâ inordinatè afficiuntur, sed tamen inordinatum illum affectum, cui annexum est peccatum, non deponunt, non se avertunt, ut scriptura loquitur, nec faciunt sibi cor novum, ac proinde non revertuntur, nisi fide & simulatè. *Non est reversa ad me pravariatrix Iuda in toto corde suo, sed in mendacio,* ait Dominus apud Jeremiam; tum verò post: *Si revertieris Israël, ad me convertere, si abstuleris offendicula tua à facie mea,* Id est, res illas omnes quibus in offensionem cadis; hoc est nempe converti, dummodo auferantur non tantum exterius, sed ex animo, per veram animi aversionem, & conversionem ab illarum affectu inordinato; Quod expressè dixit Apostolus: *Anuntiamus vobis ab his vanis converti ad Deum vivum.* Et hæc quidem, tam de veniali, quàm de mortali intelligenda sunt, cum nullum omnino peccatum remittatur sine dolore, & nullus propriè sit dolor sine illa animi aversione & reversione expressa vel tacita. *Peccat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum.* Sic de quacunque re dicere debuisti, ut peccet ex animo. Itane vero verè dixisti?

II. PUNCTUM.

Aqui hoc est quod minus observari solet, & quod vix facies nisi cum Sacerdote prius conferas.

Nam cum illi affectus qui deponendi sunt, sint valde naturales, seu naturæ corruptæ multum conformes, natura sui amans, sui tenax, & in suis conservandis solers, & callida, tam facile eos semper affectus retinere satagit, quàm difficile se finit illis exui. *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum,* inquit Propheta; Et rursum: *Ephraim vitula dolosa diligere trituram;* id est, ita afflicti sunt adherere iis quæ diligunt, ut vix defuecant, & avertantur.

Atque hinc fit, ut aliqui sibi persuadeant, id

omnino impossibile: alij possibile quidem, sed tam difficile & violentum, ut vix pares se credant violentiæ sibi faciendæ. Alij ignorantiam affectantes non magis in confessione cogitabunt de affectibus moderandis, quàm si ad remissionem peccati, moderatio illa nihil spectaret. Alij dum non sentiant affectum inordinatum, quo tempore confitentur, sibi satis esse putant, licet de futuro nihil statuunt. Alij quidquid de affectu reprimendo dicitur, non ut præceptum sed ut consilium religiosi relinquunt. Religiosi verò non ut affectum privatum retinere se dicunt sui gratia, sed vel in bonum aliquod proximi, vel sui ordinis zelo, aut aliqua simili prætexta causa. Alij peccatum quidem in re amata detestantur, sed ipsum tamen amorem inordinatum qui facit peccatum, non dimittunt. Alij sic toti sunt in enumerandis & enarrandis ad calculum culpis ut nihil illis otij, & animi videatur superesse ad culparum radices agnoscendas, & evellendas. Alj denique pro suo quique ingenio, & naturæ impulsu, quo id eunq; modo particulari fiat, sic deficiunt hac in parte Confessionis, ut à Sacerdote ijdem prorsus discedant, ut accesserant, quia, ut dictum est, natura sui nimium amans & tenax, mirum quantum in hoc affectuum naturalium negotio resistat rationi & Gratia, nisi à perito & solerti Directore ita iuvetur, instruatur, & quodammodo circuretur, ac manuducatur, ut de eo dici possit quod est in libro Iob? *Obstricant e manu eius eductus est coluber tortuosus.*

Sicut enim à Sacerdote discitur quid rei alienæ sit restituendum, quid ablatae famæ reparandum, quid proximæ in malum occasionis aufertendum; sic planè ab eodem audiendum esset, tanquam à Deo, quid ex animo evelli debeat, quid in meliorem usum converti, quid ex parte tolerari, quid funditus abijci; *Audias de ore meo verbum,* ait Dominus; *& annuntiabis eis ex me.* Sed quàm pauci hoc docent, aut doceri volunt! Atque hinc fit, ut hec tam multi confiteantur, verè etiam modò Dominus dicat, quod olim: *Astendi, & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur nullus est qui agat penitentiam super peccato suo, dicens, quid feci? omnes conversi sunt ad cursum suum, velut equus, impetu vadens ad prælium.*

O deplorandum malum! & eò magis deplorandum, quò est magis commune & universale: Et verò anima mea, sic deplora malum illud commune, ut tuum in particulari præcipuè defleas.



III. PUNCTUM.

HINC ergo manifeste patet, ut quod est præcipuum in Confessione, non fiat, nisi ad sit Sacerdotis directio, Cum illa animorum conversio & aversio à rebus creatis, quæ est præcipua Confessionis pars, vix aliter bene fiat: Ac proinde patet etiam necessitas adeundi Sacerdotis, ubi agitur de re talis momenti, qualis est Confessio, Quid enim anime sentis? quanti illud ad salutem referre putas, bene aut male confiteri? *Si salisulsum fuerit, in quo illud condieris?* dicebat Dominus, hoc est, si Confessio, quæ reparandis aliis malis est destinata, mala & perversa ipsa sit, quo tandem alio modo reparabitur? At quo modo non erit mala, si nullus est dolor? Qualis autem erit dolor, si nulla est aversio animi à peccato, seu

Marc. 9.

à re cui peccatum est adjunctum? Aut quis tandem modus illius sanctæ aversionis procurandæ, si tibi, & naturæ depravatæ relinqueris, quæ non obstante qualibet gratiâ vix patietur se privari, & averti ab eo, quod nimis amat, nisi à perito Sacerdote difficultas mitigetur, & via quodammodo complanetur? Adeone grave est communicare cum Illo, de modo ritè confitendi, cui non est grave confiteri?

Hoc sit itaque fixum ratumque, ut quàm studiosè vis debite conteri, & reconciliari Deo, tam verè desideres erudiri & dirigi à Sacerdote, ut quod præcipuum est in hoc negotio, præcipuè impleas. *Si videris sensatum, evigila ad eum: & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.*

Eccles. 6.

Vide Dominicam 4. in Adventu.

FERIA QVARTA.
DE NECESSITATE RECVRRENDI
AD SACERDOTES, PRO REMEDIIS
SPIRITUALIBUS,

*Si fuerit plaga lepra in Aedibus, ibit, cuius est domus, nuntians Sacerdoti,
& dicet, quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea; at
ille præcipiet, ut efferant universa de domo.*

Levit. 14.

VERITAS PRACTICA.

Ne dicas, sufficiens mihi sum. Eccles. II.

RATIO EST, Quia vel id omnino credis, vel non credis. Sed si non credis te sufficientem tibi esse, non est id dicendum. & recurrere debes ad Sacerdotem; Quod si id credis, hoc ipso magis ad eum tibi est recurrendum, ut te vana illa & damnosissima præsumptione liberet.

Ergo si te credas sufficientem tibi esse, si ve non credas, debes semper recurrere ad Sacerdotem, nec dicere sufficiens mihi sum.

I. PUNCTUM.

TANTUM erat lepræ malum ut parietibus domesticis sæpè adhæreret, atque inde periculum esset, ne in personam transiret, & perniciosum illis afferret, unde illi-

co juebantur Judæi adire Sacerdotem, ut remedium futuro malo, ne grassaretur, ordinaret.

Sic planè nobis idem contingit, in nostris affectibus: Adhærescunt rebus domesticis, etiam si à nobis pulsati sint & excussi: redibunt, & invadent hominem, nisi remedium adhibeatur, & nisi propterea Sacerdos adeatur. *Coinquinatio- nes illa sunt mundi, de quibus S. Petrus, quas qui fugerunt, his rursus implicati superantur, & fiunt eis posteriora deteriora prioribus.* In hunc finem aptissimè Sapiens, à quo delumpta est Veritas nobis hodiè proposita; *Ne dicas, quid est mihi opus, & qua erunt mihi ex hoc bona? Ne dicas, sufficiens mihi sum, & quid ex hoc pessimabor?* Quod enim in hac materia maximè cavendum, illud est, ne quis se satis sufficientem dicat, nec proinde aliò sibi recurrendum putet. Sed planè id vitium dicere & sentire; *Ne dicas,*

2. Pt. 2.

Eccles. II.

Nam vel id gratis dices, licet non sentias ita esse; vel ferò & ex animo ita putabis, ita credes; ita dices ut credis, & ita credes ut dices. Utrum è duobus

Reg. 16.
Prov. 24.
 è duobus ? Ne dissimula ; Deo teste loqueris,
 Dominus intuetur cor, Si dixeris, vires non sup-
 petunt, aut etiam suppetunt, qui inspector est
 cordis, inquit Sapiens, ipse intelligit, & Servato-
 rem anima tua nihil fallis, reddet que homini ju-
 xta opera sua, Est autem alterutrum necessariò
 tibi dicendum. O necessitatem aperiendi pe-
 ctoris ! quid enim proffit Eum celare, quem la-
 tere nihil potuit ?

II. PUNCTUM.

SED si non ita sentis, & te insufficientem putas,
 qui pravis tuis affectibus remedium efficax af-
 ferre possis : certe obligaris pro ea quam de salute
 & perfectione tua habere debes, curâ & sollicitu-
 dine, illum adire Sacerdotem qui provideat, &
 medeatur. Cum enim tot sint à Christo Do-
 mino instituta remedia, nimis probrosum es-
 set, non his uti, & eorum defectu salutem in
 discrimen vocare. Numquid resina non est in
 Galaad, aut medicus non est tibi ? Quare igitur
 non est obducta Cicatrix ? quid responderes, nisi
 quod neglexeris & Medicum & medicamenta,
 contra ac præcipitur : Da locum medico, etenim
 Dominus creavit illum, & non discedat à te,
 quia opera ejus sunt necessaria ; est enim tempus
 quando in manus illorum incurras.

Quod si te sufficientem tibi putas, & idcirco
 non alium esse adeundum credis ; Vide quid
 dicas, etiam si tu ipse medicus spiritualis & Sa-
 cerdos esses ; falleris, nimis de te præsumis, &
 illa præsumptio tantum est malum, ut hoc ipso
 magis alius tibi sit adeundus, quo magis te tibi
 sufficientem putas. An ignoras medicum quan-
 tumvis peritum non posse sibi mederi, sed
 alium esse adhibendum ? Quia videlicet
 amore proprio sic impeditur, ut quod aliis re-
 medium aptè ordinaret, non possit sibi præscri-
 bere aut usurpare. At nonne id verius in mor-
 bis, & remediis spiritualibus ? Nonne tibi natura
 magis corrupta est, & depravata, ut quod aliis
 diceres faciendum, tibi si non dicas, vel di-
 centi non obedias ? Illud firmissimum tenendam,
 inquit sanctus Basilus, omnium difficillimum esse
 se ipsum cognoscere & curare ; propterea quod
 naturaliter quisque se ipsum amet. Quod si spe-

ctas ordinationem divinam, quæ ad medicam
 corporalem pro sanitate corporis, unumquem-
 que mittit ; quanto magis eam spectare debes
 in hoc negotio, cum ita de sanitate animæ pro-
 curanda statuerit Deus, ut gratiam, quæ dicitur
 Discretionis spirituum & sine qua nemo aptus
 est ad dirigendas animas, dederit tantum Ecce-
 siæ ad alios curandos, non ad seipsum. Est enim
 gratia ex iis quæ dicuntur gratis datæ, quæ non
 nisi ad alios dantur. Denique audi S. Augusti-
 num : Nisi quisque adjuvetur à superiore, nullo
 modo sibi est idoneus, ut sese tantis miserarum
 implicamentis expediat. Tu contra non verebe-
 ris dicere : sufficiens mihi sum. O præsumptio-
 nem animi, si sic de te sentis ! O cœcitatem, si
 non vides hanc sensus tui præsumptionem !
 Quia dicis quod dives sum. & nullus ego : &
 nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper,
 & cæcus, & nudus. Hæc verba sæpius tibi sunt
 ingerenda.

1. Cor. 12.
De Serm.
Dom. in
monte c 3

Apos. 3:

III. PUNCTUM.

NE dicas igitur, sufficiens mihi sum : Et si ve-
 ridè revera sentias, seu non : semper tibi re-
 currendum ad alium, si verè sapias. Attende ad
 hæc duo verba, verè sapere, nam qui sibi sa-
 pientes videntur, ut nihil aliis egere putent, sa-
 pientes quidem sunt, si d non verè sapientia, si
 Sapientem & Apostolum audis. Vidisti hominem
 sapientem sibi videri, inquit ille, magis illo spem
 habet insipiens ; Hic autem : Nolite esse pru-
 dentes apud vosmetipsos, prudentia carnis mors
 est ; unde S. Bernardus. Qui se, inquit, ma-
 gistrum sui facit, se stulti discipulum constituit,
 & omnia illi desunt, qui sibi nihil deesse putat ;
 Nec pòdeat adire alium, cum apud omnes hæc
 sit recepta consuetudo, ut in nostris negotiis
 peritos quosque consulamus, & his magis cre-
 damus quam nobis. Alioquin perversus est ille
 pudor, de quo sapiens, Pro anima tua ne con-
 fundaris dicere verum : est enim confusio addu-
 cens peccatum, & est confusio adducens gloriam
 & Gratiam. Denique illa etiam atque etiam
 divina revolve Monita : Ne innitaris pru-
 dentia tua. Ne sis sapiens apud
 remetipsum.

Prov. 26.
Rom. 8.
& 12.

In episto-
lis.

Eccles. 4.

Prov. 3.

FERIA QUINTA.
DE CONSULENDO SACERDOTE,
PRO BONIS OPERIBUS FACIENDIS.

Cum (Sacerdos) invenerit lepram esse mundatam, praecepit ei qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, &c.

Quod si pauper est, & non possit manus eius invenire qua dicta sunt, pro delicto assumet Agnum ad oblationem, &c.

Levit. 14.

VERITAS PRACTICA.

Grande malum propria voluntas, quae se in bono bene faciendo, non sinit dirigi.

RATIO EST, Quia illud est grande malum, cum bona nostra nobis bona non sunt. Sed propria illa voluntate, quae se non sinit dirigi sic fit: ut bona nostra, nobis bona non sint. Ergo est illud grande malum: quod ut caveatur, amanda est Directio.

I. PUNCTUM.

LEPROSO mandato praescribat Sacerdos sacrificia, & oblationes quasdam, pro diversa hominum conditione, adeo ut Divitibus aliud, & aliud Pauperibus ordinaretur. Sic Peccatori reconciliato mox in satisfactionem, aut etiam ad majus meritum Gratiae & Gloriam comparandum, praecipuntur aut consuluntur à Sacerdotibus nostris, orationes eleemosynae, jejunia, & alia bona opera pro facultate Pœnitentis, quae longè majorem vim habent ad remissionem pœnæ peccatis debitæ, quando sic ex Sacramento pœnitentiæ, seu ex pœnitentis obedientia peraguntur, quam si ex propria devotione suscipiuntur. *Quamobrem, Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordius pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis; Sic Daniel Nebucodonozor Regi.*

Dan. 4.

Et quia non tantum pœnitenti in satisfactionem pro peccatis, sed nobis omnibus in divinum cultum, in proximorum subsidium, & nostram salutem stabilendam, ut in scripturis tantopere commendatur, bona sunt opera facien-

2. Petr. 1.

da: tam necessaria est in his operibus bene faciendis Directio, & consilium Sacerdotis, quam damnosa est propria voluntas, quae sine directione, & consilio, praesumit se posse aliquid bene operari. Tantum enim abest ut illa propria voluntate, fiat aliquid bonum, quin potius censerit debeat, Grande malum propria voluntas, quae non vult dirigi, & quæ sit ut bona tua tibi bona non sint. *Serm. 71. in Cant.*

Sic expressè S. Bernardus à quo est desumpta Veritas, modò expendenda. Atque imprimis illud considerandum, quàm sit grande malum, cum bona nostra, nobis bona non sunt. Hæc est enim maledictio Judæis denunciata: *Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis, quia locustæ devorabunt omnia, & seminabis & non metes, tu calcabis olivam, & non ungeris oleo: & mustum, & non bibes vinum.* Ubi duplex agnosci debet malum: unum quidem in labore & expensis, aliud autem in privatione fructus, & emolumentum quo desperabatur ex impenso labore. Quæ si privatio fructus dolenda est in bonis temporalibus, quanto magis deploranda in iis bonis, quæ sic æternitati delerviunt, ut nisi adsint unicuique, quanta esse debent ex suæ vocationis gradu, nulla sit illi speranda æternitas. *Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* *Matth. 7.*

Quid verò juvat facere fructum, si non sit bonus? aut quid confert bonus fructus, si nobis non sit bonus? Nonne est igitur grande malum, cum bona nostra nobis bona non sunt: quandoquidem perinde est ad æternam vitam, ac si nulla esset bona; peius autem & damnosius ad hanc præsentem vitam, quod multum fuerit laboris, impensæ plurimæ, tempus perditum, spes illusæ; *Quoniam devastatum est triticum, inquit Propheta,* *Joel. 1.*

pheta, confusum est vinum, elanguit oleum, perit messis agri, demolita sunt horrea, dissipata sunt apotheca. Plange hoc malum.

II. PUNCTUM.

SED propria illa voluntate, qua se non sinit dirigi, sic fit ut bona nostra, nobis bona non sint.

Hæc est scilicet propria voluntas, de qua S. Bernardus in illud Canticorum, qui patitur inter lilia; quæ idcirco propria dicitur, quia non erat communis cum Superiore, in iis Religiosis qui plura bona faciebant, suo proprio motu, secus quam ille vellet à quo regebantur, & cui non communicabant quod facerent. Ut autè ostendat eis sua bona non ipsi esse bona, adducit locum Isaiæ, ubi Judæi apud Dominum sic conqueruntur, quare jejunavimus & non aspersisti: humiliavimus animas nostras, & nescisti? Quibus tum Dominus, ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitorum vestros repetitis; Atque hinc locum prophetæ, S. Pater cum illo componens quem explanabat ex Canticis; Vereor, inquit, ne inter nos aliqui sint, quorum non acceptet munera sponsus, eò quod non redoleant lilia; Etenim si in die jejunii mei invenitur voluntas mea, non tale jejunium elegit sponsus; non sapii illi jejunium meum, quod non liliis obedientia, sed vitium propria voluntatis sapit. Ego autem non solum de jejunio, sed & de silentio, de vigiliis, de oratione, de electione, de opere manuum, postremo de omni observatione Monachi, ubi invenitur voluntas sua in ea, & non obedientia Magistri sui, id ipsum sentio, minime propter observantias illas, etsi bonas in se, tamen inter lilia, id est, inter virtutes consuevit deputandas: sed audiet à Prophetâ, qui ejusmodi est, numquid tale est obsequium quod elegi, dicit Dominus? Et addit, in die bonorum tuorum, inveniantur tua: Grande malum propria voluntas, quæ sit, ut bona tua tibi bona non sint: oportet proinde extra lilia fieri, qui hujusmodi sunt, quia nihil omnino, quod propria inquinatum sit voluntate, gustabit Is, qui patitur inter lilia: sapientia est ubique contingens propter munditiam suam, & nihil inquinatum in eam incurrit.

Serm. 19. in Cant. Quæ sancti Patris dicta ex eodem sic confirmantur & declarantur, ubi ait: Sapientia est Deus, vult se amari non solum dulciter, sed & sapienter, unde Apostolus, rationale, inquit, obsequium nostrum: facillimè zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas; nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de

corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea, incaute, & non cum ratione ambuletur. Sic est autem omnis propria voluntas, indiscreta, irrationabilis, insipiens, ac proinde Deo minime placens, unde fit tandem ut quæ per eam fiunt bona, bona non sint: quod pridem dixerat S. Basilii in suis regulis brevioribus, prorsus edicens, quidquid sit ex propria voluntate arbitrio deorum, sicut à dōrēor, alienum id esse à cultu pietatis. Numquid propterea dictum: Cum accipero tempus, ego justitias judicabo? ad nonne hoc tremendum? Nescitis, quia modicum fermentum, totam massam corrumpit? Et torā malsā corrūptā, quid restat sanum? quid restat sanctum? quid restat compensandum? quid restat non plecendum?

Reg. 138.

Ps. 74.

1. Cor. 5.

III. PUNCTUM.

GRANDE est igitur malum propria voluntas, qua se in bono bene faciendo non sinit dirigi; Cum sic bona nostra, non magis sint nostra, quam si nulla essent; sicque bonis omnibus destituti, eò miseres simus, quò minus cognoscimus miseriam nostram. Nam si nihil omnino boni egissemus, saltem agnosceremus inopiam, & cum Publicano clamaremus, Deus, propitius esto mihi peccatori. Sed dum multa nos putamus rectè operatos, quæ nec tamen recta, nec bona sunt, Pharizæi fortem incurrimus, cujus bona, divino judicio, tam parum probata sunt, quam multum ipsa suo probabat.

Hoc est videlicet, quod regius canebat Psalmes: Dominus de Cælo prospexit super filios hominum, ut videat si ex intelligentibus, aut requirentibus Deum. Omnes declinarunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Non deerant fortè qui jejunarent, qui orarent, aut qui etiam eleemosynas largirentur; sed quia nullus erat intelligens, aut requirens Deum in illis suis operibus faciendis, id est, non ex ordinatione divina, non ex Sacerdotis directione, non ex prudenti dictione illa obibat: sed ex voluntate quadam propria, quæ fiebat, ut qui jejunabant, orare potius aut eleemosynas facere debuissent; & contra iis esset jejunandum qui orabant, aut sua pauperibus erogabant: sic eveniebat, ut omnes simul inutiles fierent, & nullus esset qui faceret bonum, bonum scilicet quod ab unoquoque vellet Deus, licet aliquid fieret bonum, quod quisque vellet. Unde ex Hebræo vertit Bellarminus, putrefacti sunt: Hac videlicet

Luc. 18.

Ps. 13.

Ps. 52.

sua

sua propria voluntate, quæ quod facit bonum, corumpit.

Prov. 29. Hinc aptè Sapiens, *Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet?* Quasi diceret, sat multi sunt, qui aliqua misericordiae opera exercent, & hi vulgò vocantur misericordes: sed non sunt coram Deo, nisi sint fideles: id est nisi sua illa misericordiae opera faciant ex fidelitate quâ debent respondere gratis, & donis acceptis in sua vacatione, adeo ut tot itaque faciant, quanta ab eis exigit Deus: hoc est enim esse fidelem, tam fideliter sibi data expendere, quantum ille velit, qui expendenda dedit.

Sed talem virum quis inveniet? Rarus est & penè nullus, quia nullus se vult dirigi, & dum suo quis potius, quam Directoris consilio regitur, magis spectat quid velit, quàm quod Deus: sicque fidelitatem illam non assequitur, quæ in una Dei voluntate peragenda consistit.

Vide quantum in his deficias, & prospice, *Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, id est, abjecit & recusavit opera tua, Durum certè, sic abjecta opera tua! Sed quanto durius sic abjectum sermonem Domini.* *1. Reg. 15.*

F E R I A S E X T A.

DE SINCERITATE, QVA REQVIRI DEBET SACERDOS, AD PARTICIPANDA EJUS SACRIFICIA.

SIVE AD QUIDVIS ALIUD CUM IPSO
COMMUNICANDUM.

Rogabitque pro eo, coram Domino, & faciet sacrificium pro peccato.
Levit. 14.

V E R I T A S P R A C T I C A.

Væ duplici corde. *Ecclesi. 2.*

SENSVS & RATIO est, quia vna homini illi qui fide, & dissimulatè cum Deo agit.

Sed qui duplex est corde cum Direttore, sic fide & dissimulatè agit cum Deo.

Ergo vna duplici corde; Ac proinde hic maxime procurandum est quod ait Apostolus; In simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali. *2. Cor. 1.*

I. P U N C T U M.

LICET Leprosi pro se orarent, & munera sacrificanda offerrent, non id tamen sufficiebat illis mundandis: sed præterea Sacerdos pro ipsis rogabat Dominum, & faciebat sacrificium, quod fusè describitur Levitici decimo quarto. Sic planè nobis parum est, aut certè minus esse putandum est, quidquid egerimus, nisi Sacerdos potentissimo illo sacrificio, quod quotidie in Ecclesia immolatur, nos adjuvet, & nisi propterea illum adeamus & requiramus, ad peculiarem ejus sacrificiorum parti-

icipationem nobis conciliandam: sicut quondam amicis Job dictum est ab ipso Domino: *Itè ad servum meum Job, & efferte holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, & non imputabitur vobis stultitia.* Sic nobis dictum putemus, si perfectè satisfactum Deo volumus, *Job. 40.*

Hoc videlicet est quod satis liberè & frequenter facimus, cum nos eorum precibus, & sanctissimis Sacrificiis commendamus: nihil frequentius, nihil vulgarius; sed utrum id in simplicitate cordis, & sinceritate Dei dicatur, tu de te videris. Certè periculum est, ne id potius assentatorè, vel solitè urbanitatis gratia usurpetur, quàm ex ea sinceritate animi, quâ procedendum esset. Itane revera sentis te illius Sacrificiis indigere, cui te vis commendatum, ut qui te ipso parum possis, parum tibi prosist: & nisi ejus salutaris præsidio adjuveris, te minus idoneum & sufficientem esse, qui divinum tibi Numen propities? Hæc est illa simplicitas cordis, & sinceritas Dei, quâ non modo roganda essent sacerdotis merita, & Sacrificia, sed quidquid universim cum eo agitur de negotio salutis & animæ, sic sincerè communicandum esset.

Verum,

Eccl. 2. Verum, ut dixi, multum in hac parte deficiamus, & tam longè absumus ab illa simplicitate, & sinceritate mentis, quam longè abest à simplicitate, duplicitas cordis. *Sed vae duplici corde, ait sapiens & labius selestis & peccatori terram ingreditur diem duabus vicis.*

Hoc modò est expendendum diligentius, sic discutendo. Dubitari non potest, quin sit vae homini illi, qui fictè & simulatè cum Deo agit. Nam vel existimat id Deum nosse, vel ignorat: si putat Deum nosse, ut certè novit omnium corda, nonne est aperte illum irridere, sic velle dissimulatè cum eo agere? Nonne est illud *cor pravum*, quod dicitur, *abominabile Dominò*? Quod si putat Deum ignorare, & sese ab eo quodammodo posse abscondere, quid injuriosius Deo? quid divinæ Scientiæ & Sipientiæ magis oppositum? *Vae qui profundi estis corde, us à Dominò abscondatis consilium!* Id est, ut putetis posse abscondi. Atque hancipie Deus inter alias rationem reddit, cur illos præcipuè puniat, qui seputant Deum celare sua consilia; *Ut sciant, inquit, omnes ecclesia, quia ego sum scrutans renes, & corda, & dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Felices qui sapere possunt, alienis damnis: Infelix ille, cujus poena proponitur ad exemplum & terrorem. *Scio Deus meus quod probes corda, & simplicitatem diligas;* Vide an possis hoc Deo sincerè cum Davide dicere.

II, PUNCTUM.

SED duplex corde cum Directore, sic fictè & dissimulatè cum Deo agit.

Nam duplicem esse corde, perinde est ac fictè, & dissimulatè cum Deo agere. *Purificatio corda, duplices animo*, licet verò immediatè cum Deo non is agat, qui fictè & dupliciter cum aliquo agit, sic tamen cum Deo agere dicendus est, quatenus non ignorat à Deo veritatem, & puniendam quamlibet duplicitem: non ignorat sibi propterea rationem Deo reddendam, non ignorat quod dicit sapiens, *Abominatio Domini est omnia illuser*, sive sit illuser Dei, sive hominum, *abominatio Domini est.* Quod certè hic eò verius cenferi debet, quò illa duplicitas agitur in negotio salutis, quod est negotium Dei, & cum Sacerdote agitur, qui Deum magis repræsentat quàm quis alius. Vnde id certius dici possit quod est in actis Apostolorum, *non es mentitus hominibus sed Deo.*

Hoc autem potissimum accidit, cum vel ex *Haynouse Pars prima.*

cusantur peccata, vel prætenduntur excusationes, cur aliquid non fiat: vel cum ita proponitur aliquod dubium, ut cogas quodammodo Directorem respondere ad tuam mentem, dissimulando aliqua quæ si sincerè diceres, aliter responderet; *O plene omni dolo & omni fallacia! DO* *ibid. 13.*
CVERTUNT linguam suam loqui mendacium, in- *Ier. 9.*
quit Propheta, ut iniquè agerent, laboraverunt.
Quod sic declarat S. Gregorius. *Qui amici esse* *3. p. Pass.*
veritatis potuerunt sine labore, ut peccent, labo- *Adm. 22.*
rant: cumque vivere simpliciter renuunt, labori-
bis exigunt, ut moriantur. Nam plerumque in culpa deprehensi, dum quales sint cognosci resugunt, sese sub fallacia velamine abscondunt, & hoc quod peccant, quòdque iam aperitè cernitur, excusare moliantur: ita ut, sèpè is qui eorum culpas carripere studet, aspersa falsitatis nebulis eductus, pendè amisisse se videat quod de eis iam certum senebat; unde rectè sub *Judaa* specie per prophetam, *Is. 34.*
ibi habuit forviam hericium. Hericij quippe nomine, impuram mentis, seseque callidè defendentis duplicitas designatur, qui videlicet hericium dum apprehenditur, & caput eius cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur: sed mox ut apprehensus fuerit, semetipsum in spem colligit, & pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, & supra tenentis manus totus simul amittitur, qui totus simul ante videbatur. Sic nimium, sic impura mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur.

Videri possunt, quæ plura hic habet S. Doctor, & iis non modò conveniunt, qui se excusant in peccatis iam perpetratis, sed iis etiam qui ne peccate deinceps videantur, excusant falsò aliqua, vel, ut dixi, dissimulatè proponunt dubia, & supponunt incerta vel falsa; *filij sunt illi mendaces, de quibus Propheta, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre: & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea quæ rectè sunt.* *Loquimini nobis placentia, videte nobis erro-* *Is. 30.*
res; Auferit à me viam, declinat à me semitam, cessat à facie nostra sanctus Israël.

Tu licet fortè non loqueris, nec propterea tibi hæc convenire credes: sed putasne esse aliquos, qui sic aperte loquantur? Vix est ullus tam vecors & impius. At verò cum multi sint, qui id corde sentiant, & de quibus alibi dicitur, *Labia dolosa in corde, & corde loquuti sunt:* Tibi magis *Ps. 11.*
timendum est, ne ex his fortè sis, quàm præsumendum audacius, te ex illis unum non esse. *Sa-* *Eccl. 10. 1.*
piens quocumque audieris, ad se adjiciet.

K III, PUN-

III. PUNCTUM.

V igitur duplici corde, sicut va homini illi qui sic fide & dissimulare cum Deo agit. Nam ut habet Sapiens, Spiritus sanctus disciplina effugiet fictum. Hoc est, seminare mala in sulcis iniustitia, quod vetat Ecclesiasticus, ne metas ea in septuplum. Nam vel additur hæc duplicitas peccato ut excusetur, vel isti duplicitati adjungitur quædam gloriatio, & palpatio mentis, quasi cautè & prudenter egeris, sic animum obtegendo: vel denique se aliis etiam prudentiores & cautiores credunt; unde est illud S. Gregorii. Speciale est duplicisim malum, quia dum perversa, & duplici actione, ceteros fallunt, quasi prastantius ceteris prudentes se esse gloriantur; & quia distinctionem retributionis non considerant, de damnis suis miseri exultant: audiunt autem quomodo super illos propheta Sophonias, vim divina animadversionis intendat, dicens: ecce dies Domini venit magnus, & horribilis dies illa; dies ira, dies tenebrarum & caliginis, dies nebula, & turbinis, dies tuba & clangoris, super omnes civitates munitas, & super omnes angulos excelsos. Quid enim per civitates munitas exprimitur, nisi suspecta mentes, & fallaci semper defensione circumdata, que quoties eorum culpa corrigitur, veritatis ad se jacula non admittunt? Et quid per excelsos angulos, nisi duplicitas impura mentis intelligitur? duplex quippe semper est in angulis paries, Quid per angulos parietis, nisi impura corda signantur? qua dum veritatis simplicitatem fugiunt, ad semetipsa quodammodo duplicitatis perversitate replicantur. Et quod est deseruit, apud cogitationes suas in fastu prudentia, ex ipsa se culpa impuritatis extollunt. Dies igitur Domini. Et quæ plura illic habet, nec non in mo-

ralibus ad hæc verba Job, *Ruga mea testimonium dicunt contra me. Quid per rugas nisi duplicitas? Ruga sunt omnes Ecclesia, qui in ea dupliciter vivunt, has rugas in electis suis Ecclesia non habet, quia nescit aliud de se foris ostendere, & aliud intus habere, unde Apostolus vocat Ecclesiam non habentem maculam aut rugam.*

Ne putes hæc temerè seu gratis dici, res enim gravior & verior est, quàm fortè sentias. Cogita quantum abhorres ab eo quem scires tecum fide, & simulatè agere, à quo scires te decipi; Quàm iniquus ille esset Sacerdos, quàm impius qui tecum deose procederet! Tu veiò si teipsum perdis, simulatè cum illo agens, an putas levius esse crimen? an putas te minus perditam? Itane cum Medico de corporis valetudine ageres? Itane de re civili & temporali cum homine confers, à quo res pendet, à quo consilium expectas vel iudicium? Nonne feriò, nonne ex animo, nonne omni priorius modo rem tractas, quo felicius successuram putas? Jam verò in animi tui negotio, in æternitatis causa, in te omnium negotiosissima, tu quasi joco ludes, aut quasi ludus esset, sic Sacerdotem illudere, sic te à teipso illudi? O insensate quis te fascinaruit?

Audi hoc postremum Sapientis monitum; Nescis incredibilem timori Domini: & ne accesseris ad illum duplici corde: ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis: attende in illis ne fortè cadas, & adducas anime tue inhonorationem, & reveles Deus absconsa tua, & in medio Synagoga elidat te, quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo, & fallacia.

13. Mor. 4

Ephes. 5.

Gal. 3.

Eccles. 1.

SAB-

S A B B A T O.
DE CONVENIENDO SACERDOTE
PRO DEBITO USU SACRÆ COMMUNIONIS.

Immolabit agnum, ubi solet immolari hostia pro peccato, assumensque Sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & super pollices manus dextræ & pedis.

Levit. 14.

VERITAS PRACTICA.

Suam ille vestem nuptialem recusat induere, qui recusat instrui de debito Sacramenti usu.

RATIO EST, Quia suam ille vestem nuptialem recusat induere, qui recusat afferre debitam, & convenientem sibi dispositionem ad perfectè communicandum.

Sed qui recusat instrui de debito sacramenti usu, recusat afferre illam debitam, & convenientem dispositionem.

Ergo & vestem suam nuptialem recusat induere: Quod est valde cavendum.

I. PUNCTUM.

QUOD fiebat exterius in leprosi corpore, quando agni pro eo immolati sanguine certis in partibus tingebarur à Sacerdote, hoc longè modò nobilius & excellentius in annis nostris peragitur, quando ipso immaculato pascimur Agno, qui pro nobis in altari offertur. Hæc itaque manifesta fuit sacræ Communionis figura, quæ ut perfectè à nobis compleatur, non modò à Sacerdote recipimus Sacramentum, sed debitum etiã recipiendi Sacramenti usum ac convenientem unicuique modum, ab eodem exquirimus. Quod quidem ita expedit à nobis fieri, ut quanti refert suam afferre vestem nuptialem ad regiam illam coenam, tanti videatur nostra interesse, plene instrui de convenienti modo perfectè communicandi: *Suam ille altoquin vestem nuptialem recusat induere, qui recusat instrui de debito sacramenti usu.*

Ratio quæ offertur est facilis, si semel intelligatur: quod presupponit, nempe, per vestem illam nuptialem de qua est mentio in Evangelica parabola, designari convenientem unicuique

dispositionem ad perfectè communicandum, Sicut enim apud Judæos non modo erat certum quoddam vestimenti genus exquisitum, quod omnes Convivæ tenebantur induere, sed illius vestimenti tanta erat varietas, quanta necessè erat, ut pro diversis ætate & statura, suam unusquisque posset vestem induere. Sic planè, ad sacrum Convivium non modò est quædam dispositio generalis, seu generatim necessaria omnibus, quæ in Caritate illa consistit, quæ excludit omne peccatum mortale: Sed est præterea quædam particularis unicuique non ita fortè semper, & absolutè necessaria, sed tamen valde conveniens, & non tantum ad decentiam, sed ad participandum uberiores fructum ita quoque necessaria, ut sine hac, priveris illà gratiarum specie seu abundantia, quam recepisses. Atque hæc est particularis dispositio quam propriè designabat vestis nuptialis: quia ut dicebam, sicut hæc vestis commensurari debebat ætati & staturæ personarum, sic illa dispositio vocationi, statui & aliis circumstantiis debet respondere, de quibus puncto sequenti.

Hinc itaque facilis est intelligentia primæ propositionis, quæ dicitur suam ille vestem nuptialem reculare, qui recusat afferre convenientem sibi dispositionem ad perfectè communicandum: nam cum illa certa vestis nihil aliud adumbrat quam particularem hanc dispositionem, nonne unum infertur ex alio tam perspicuè, quàm perspicuum est unum in alio contineri, seu unum & idè esse? O quanta iam inde apparet necessitas dispositionis hujus afferendæ! Quis sine veste nuptiali auderet accedere? Quis non timeret hæc audire; *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem: Quis non saltem erubesceret sine sua propria & convenienti veste? Non apparcat recusat instrui*

Apoc. 3.

THA.

II. PUNCTUM.

SED qui recusat instrui de debito Sacramenti usu, recusat asserre illam particularem, & convenientem dispositionem.

Non est hic aliud debitus Sacramenti usus, quam particularis uniuscujusque dispositio, nam in hac particulari dispositione asserenda consistit debitus sacramenti usus; superi sit itaque declarandum, ita opus esse Instructione, & Instructione ad hanc perdiscendam dispositionem, ut qui qui recuset instrui, recuset se disponere. Sic autem declaratur: Opus est instrui ab alio si per te tutò, non possis id intelligere & satis capere: Nonne id planum? Atqui per te non potes id tutò, & commodè capere. Hoc enim situm est in intimatui cognitione, ad quam perferendam non es satis idoneus, ut supra ex Sapiente visum est, *Ne dicas, sufficiens mihi sum*, nam cum inordinatis non modò agitemur affectibus quæ clarum nostri cognitionem obnubilant, sed variis etiam moveamur spiritibus, qui nos à vero dignoscendo, & recto tenendo tramite non parum turbent: opus est planè homine qui dono Discretionis spirituum internolescat bonum à malo, falsum à vero, spirituale & divinum ab humano & diabolico; *Nolite omni spiritui credere*, inquit S. Iohannes, *sed probate spiritus si ex Deo sint.*

Ecl. 11.

1. Ioh. 4.

Sicut enim pro frequentia Communionis nemo sibi tutò credat, sed standum est iudicio Sacerdotis, qui pro diversitate Personarum, seu Conditionum & statuum iudicet de unoquoque in particulari, sic omnino de modo & usu Communicandi. Nam alius debet esse Incipientium modus, alius Proficientium, & alius Perfectorum. Alius est Puerorum, alius Iuvenum, & alius ætate provectorum, Aliter accedendum tempore tribulationis, & aliter tempore consolationis. Tam vari denique possunt esse modi, quam varæ sunt personæ; Imò, & quam diversi sunt eiusdem personæ status, in quibus omnibus modis, & statibus dignoscendis, quia potest errari, sicut in frequenti usu, nisi discretionem spirituum, & directionem caveatur: idcirco non minus quis instrui debet de illo modo, quam de frequentia, & qui recusat instrui, recusat asserre convenientem sibi dispositionem, quæ in illo certo consistit modo. *Hæc tibi scribo*, inquit Apostolus, *ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivæ.*

1. Tim. 3.

Quot enim sunt qui se semper incipere putant, & in via purgativa jacentes, nihil nisi de peccatis solliciti, hoc unum communicando, cogitant; cum in Charitatis, aliarumque Virtutum actibus se exercere deberent? Quam multi contra citius evolant, & altius quam oporteret; cumque suis nondum sint exuti affectibus, Deo ad hæterere gestiunt, & unitivam perfectorum viam incedere: unde tam multi lapsus, & casus, de quibus passim sancti Patres. Tu illud ex libello de Imitatione Christi revolve. *Quidam incauti propter devotionis gratiam seipsos destruxerunt, quia plus agere voluerunt, quam posuerunt, non pensantes suæ parvitas mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quam rationis iudicium.* Et post pauca, *qui adhuc novis sunt, & imperii in via Domini, nisi consilio discretorum se regant, facilliter decipi possunt & eludi: Quod si suum sentire magis sequis, quam alius exercitatus credere voluit, erit eis periculosus exitus: si tamen retrahi à proprio conceptu non valuerint; Raro sibi ipsi sapientes ab aliis regi humiliter patiuntur.*

L. 3. c. 7.

Hæc divinus ille Author ad verbum, ex quibus planè intelligas, quam vera sit Propositio de recusante se instrui, & cum non aliter multi reculent, quam quia sibi ipsi sapientes videntur, vide quam sit timenda talis præsumptio, & quam verè Propheta, *Va qui sapientes essis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes!*

Is. 5.

III. PUNCTUM.

SUAM igitur ille vestem nuptialem recusat induere, qui recusat instrui de debito sacramenti usu. Nam illa vestis nuptialis non in genere sumpta, sed in sua specie, & certâ quâdam mensurâ, nihil sit aliud, quam proportionata unicuique dispositio, quæ requiritur ad perfectiorem sacramenti usum, & quæ à Sacerdote, non à nobis est addiscenda, nisi errare velimus in re tanti momenti; quid sequitur nisi quod proposita Veritate continetur? Cujus rara quidem est praxis, quia rari sunt, ut dictum est qui sibi nimis non sapiant, & qui se putent egere alieno consilio: sed non propterea desinit esse Veritas, cujus consideratio multum certè valere potest ad hanc præsumptionem comprimendam & ad conveniendum Sacerdotem de re tam utili & necessaria.

Hi sūt parvuli, & insipientes, quos ex omnibus invitatur ad se sapientia; *Si quis est parvulus veniat ad me: & insipientibus locuta est, venite, comedite panem*

Prov. 9.

panem

panem meum, & bibite visum quod miseri vobis. Hi sunt inter amicos charissimi qui inebriantur; Comedit, inquit, amici, & bibite: & inebriamini charissimi, id est replemini tantâ gratiarum abundantia, ut non jam homines, non ratione humana moveamini: sed toti coelestes, & divini evadatis. Hoc est enim singulare beneficium sacræ Communionis, ad quam acceditur cum veste nuptiali, id est, cum sibi conveniente dispositione: ita replet animum divinis infusionibus, ut totus absorptus, & inebriatus sentiat. Amici quidem sunt qui in caritate communicant, & hi quidem comedunt & bibunt; sed qui ad caritatem addunt puriorem illum & perfectiorem modum, qui suo statui, & præsentis gratiæ convenit, hi sunt

charissimi, & præter communem Communionis fructum, tam multos alios referunt, ut unâ communionem plus aliquando proficiant, quam alii pluribus.

O dulcissimè Domine Jesu quanta est dulcedo devota anima tecum epulantis in convivio tuo. Vide libri quarti de Imitatione Christi caput undecimum; & sic deplora tot gratiarum jacturas quas fecisti, ut ad eas reparandas novo accendaris desiderio, non aliter deinceps communicandi, quam cum debita, & convenienti dispositione animi, quantumcum divina gratia, & Directoris operâ procurare possis. Dilata os tuum & implebit illud.

Vide Verbo *Communionis, Eucharistia* præsertim in 3. parte.

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM, NISI SIT SEPTUAGESIMA.

DE SEDATA MARIS TEMPESTATE IMPERIO CHRISTI.

Quid timidi estis, modicæ fidei? Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Non quia mala sunt, perturbamur in adversis: sed quia perturbamur, adversa mala sunt.

RATIO EST, Quia totum adversitatis malum, in malo est ejus usu.

Sed malus adversitatis usu ex perturbatione potius provenit, quam ex malo usu, perturbatio.

Ergo non quia mala sunt, perturbamur, in adversis: sed quia perturbamur, adversa mala sunt: ac proinde magis cavendum est perturbari in adversis, quam ipsa quævis subire adversa.

I. PUNCTUM.

ASCENDENTE Jesu in naviculam secuti sunt discipuli ejus: & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum Discipuli ejus, & suscitaverunt eum, dicentes; Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus, *Quid timidi estis, mo-*

dica fidei? Tunc surgens imperavit ventis & mari, & factus est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt dicentes, qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?

Hæc hodierni Evangelii verba, quæ alibi rursus considerantur, sic revolve; ut animadvertas primum, quantæ molestiarum moles, quanti calamitatum fluctus, & procellæ nos agitent in hac vita. Deinde quàm parum constantes, in his simus, licet non ignoremus nihil nisi Deo volente nobis accidere, nihilque eo præsentem, & adjuvante posse esse, si velimus, boni emulatores esse, sicut ait S. Petrus, id est bene uti occasione. Denique nostram animi perturbationem & impatientiam in adversis, majus esse malum, quam ipsa quævis adversa; Nam nisi perturbaremur, mala non essent; quidquid enim dicamus ad excusandas perturbationes nostras, quidquid contra sentiamus, certa est Veritas, & digna quæ sæpe recolatur, *Non quia mala sunt perturbamur in adversis, sed quia perturbamur, adversa mala sunt.*

Ratio, quæ proponitur, continet universale illud principium, de quo fusiùs in aliis Veritatibus